



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

6. Plenus gratiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

eato, quoad aliquis pro opinione opposita sufficientem fidem, & quidem meis congruentijs, quas mihi certas ob causas referuo, maiorem afferat. Tu autem Lector vides, stetisse me promissis; scilicet paulatim, ac cum comitibus & ducibus incessisse me, vt periculum magnopere timere non debeam.

ELOGIUM VI.

IOSEPH

Plenus Gratiâ.

SI verè IOSEPH plenus est gratiâ, nihil jam obstare poterit, quò minus, imitatione Angeli, Elisabeth & Ecclesiæ Catholicæ, ipsum quoque salutem. *Ave IOSEPH, gratiâ plene, &c.* Verbis Angelicæ Salutationis ad Ipsum à MARIA Coniuge, exemplò jam per libros vulgatò translatis, quemadmodum initiò Lucubrationis nostræ legere potes. At plenum esse gratiâ, etiam Theologica Veritas esse potest. Vt enim à minoribus ascendam ad maiora, plenitudo gratiæ in genere potest esse, sine præiudicio Fidei; imò debet alijs IESV & MARIA minoribus sanctis concedi; vt Stephano Act. 6. v. 8. *Stephanus autem plenus gratiâ.* Et Romanis in Epist. Pauli c. 15. v. 14. *pleni estis dilectione.* Atqui IOSEPH ex omnibus Sanctis proximè accedit ad IESVM & MARIAM. Post istos igitur, nemo magis, quàm IOSEPH, gratiâ plenus est, dicique potest, etiam sine Fidei præiudicio.

B 5

Sed

Sed jam ulterius inspiciam, quæ tandem illi sit plenitudo IOSEPHO si non debita, certè conueniens. Inprimis nihil ei admixtum est mali. Ostendi enim immunem esse saltem ab omni mortali actuali peccato; quod solum, post dimissum peccatum originale, gratiæ secundùm Theologos opponitur. Insuper verò, quidquid boni gratiæ inest, participat præcipuè IOSEPHVS. Id quod tum ex grauium Auctorum fide; tum deinde principijs ab omnibus communiter receptis deduco. Ac 1. saltem in vtero sanctificatum esse docent Elogio secundo citati. 2. Confirmatum in gratiâ fuisse post Gersonem in Iosephina & alibi affirmant Barrad. l. 6. concord. cap. 8. Gratian. l. 5. de IOSEPHO c. 5. tit. 1. Carthag. l. 18. Hom. vlt. §. 1. Paulus de Barry c. 5. 3. Vsum rationis in infanti ætate acceleratum illi esse tradit Cotonus Conc. 4. §. 2. mihi fol. 50. 4. Gratiâ & Gloriâ superiorem esse Apostolis, & Ioanne Baptistâ, defendunt Franc. Suarez Disp. 9. S. 2. Cornel. à Lap. in Matth. cap. 1. & alij infra Elog. 69. & 70. ac 71. citandi, vbi eum etiam supra Angelos extollam. 5. Propter magnitudinem gratiæ, præparatam illi in gloria à Patre cœlesti iam inde ab æternô fuisse sinistram IESV dextrâ Matri relictâ; ideòque hunc Zebedæi filijs Matth. 20. dixisse; *Sedere ad dexteram vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, MARIE nempe & IOSEPHO; probat Carthag. lib. 4. Hom. 8. in fine comparans Patrem æternum, instar Tobie Senioris pensans

penfantis merita Angeli in juniorem Tobiam collata, hunc honoris gradum IOSEPHO optimè de Filio merituro decernentem.

Cæterum principia, vnde præsumi plenitudo gratiæ IOSEPHO superfusæ possit, hæc sunt. Primum est S. Thomæ in 3. p. q. 27. a. 4. Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad illud, ad quod eliguntur, inueniantur idonei. At officium, ad quod elegit IOSEPHVM Deus, est maius cuiuscunque alterius Sancti officio; vt docet Suarez cit. 2. Quò quis gratiæ & ijs qui gratiam dispensant, propior est, eò vberiore gratiam participat. At hic est IOSEPH proximus IESV & MARIÆ, qui gratiam dispensant. 3. Conuenit, non solum in corpore, sed etiam in moribus & animò similitudinem maximam esse inter virum & conjugem diuinitus desponsatos. At tales sunt IOSEPH & MARIA. 4. Gratiæ plenitudo, commensuratur amorì diuino. Atqui inter IESVM, MARIAM, & IOSEPH amor, omniù Sanctorum amore, maior est. Amandi enim media ac motiua singularia habuit. 5. Infimum supremi semper est supremum infimi, vt inductione in Physicis Philosophi probant. At eadem est ratio in moralibus. Moralis autem ac supernaturalis supremæ Hierarchiæ, quam cum IESV & MARIAM constituit, IOSEPH est infimus; vt ostendit Barry

cap. 3. ex Gersono Serm. de Nat.

B. V. Ergo &c.

ELO-